

Inuenta per regulas præcedentes altitudine solis seu stellæ cuiusvis, eam in tympano Astrolabij collocare poteris hac ratione: Incipe numerare ab horizonte obliquo, qui omnium parallelorum maximus est, ac ultimus versus lineam mediæ cœli ex parte orientis, si ante meridiem; ex parte vero occidentis, si post meridiem altitudo inuenta est, eumque parallelum, in quem talis altitudo cadet, nota puncto circumagendo deinde solem seu stellam propositam, in eo ipso parallelo, in quem cadit numerus eleuationis, statue. Quod si verò numerus graduū eleuationis præcisè non cadit in aliquem parallelum, sed in interuallum duorum parallelorum, ut sæpe contingit, tunc circumacta aranea, partem seu gradum solis, aut stellam, cuius eleuatio fuit inuenta in priori parallelo siste, super ipsamque ostensorem pone, notando quot partes ostensor super talem parallelum aut stellam positus, in limbo monstrat: quo facto rursus prouoluta aranea, donec superiorem seu immediatè sequentem parallelum contingat, tunc superposito ostensore, nota similiter, quot gradus in limbo contingat, gradus interceptos inter hos duos contactus ostensoris numera & seorsim scriptos per partes, quibus eleuatio inuenta numerum parallelorum inuenta superat, multiplica, productumq; per paralleli primi numerum inuentum diuide; quotiens ostendet altitudinem rationabilem solis aut stellæ propositæ, quam beneficio circini inter duos illos parallelos notabis posita linea fiduciæ super ipsa, & circumducta aranea, donec sol seu stella proposita stet super ipsam. Vt Exempli gratia. In Astrolabio quinq; partio, id est 18. parallelorum, ubi quodlibet interuallum est quinq; partium seu graduū (quinquies enim 18. dant 90. quæ constituunt unam quartam circuli) volo collocare altitudinem astri, quam inueni esse 28. grad. ante meridiem, incipio numerare ab horizonte obliquo versus lineam mediæ diei, usque ad quintum interuallū, hoc est, usq; ad 25. grad. sed quia eleuatio

erat